

Ecal

Pub. Ca

# Prudentes ac Circumspecti

Nobis Honorandi!

10. Julii  
1780.

**S**acra Sua Cæsareo-Regia, & Apostolica Majestas Loci Credibilis B. M. V. de Thurócz ad Capitulum Neosoliense Translationem e gravibus subversantibus rationibus, ac videlicet tum ideo, quod nihil insolitum sit, compluraque hanc in rem extent Exempla, tum vero, quod in facie Loci penitus inspecta, & discussa docuerint: Archivum hoc desolato in Statu constitui, tum denique, cum manifesta Provisionis hujus Utilitas in publicum non minus, ac privatos quosvis promanatura eveniat, benignè resolvere dignata est.

Ut igitur in procurando illius Effectu cum debita Regnicolarum Securitate procedatur, quemadmodum Norma qualiter transferendi ejusmodi Archivi iis, ad quos pertinet, sub hodierno præscripta, una vero de Altissimo Jussu Regio dispositum est: ut memoratum Capitulum faciendis Expeditionibus a Terminò imæ venturi Mensis Augusti Initium faciat; Interea nihilominus temporis, usque celebrandam videlicet Regni Diætam, quævis Expeditiones sub titulo, & sigillo Conventus B. M. V. de Thurócz perficiantur; ita id ipsum Civico huic Magistratui serie præsentium notum, publicumque facit Regium hoc Locumtenentiale Consilium. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiale Hungarico Posonii die decima Mensis Julii Annò Millesimò Septingentesimò Octuagesimò celebrato.

J1447-B(5)

